

mediate agere. Hoc autem contingit quando plures secundum gradum potentiae differentes, super idem operationem habent. Erunt enim aliqua actio quam circa illud potest efficere superior, quam non potest inferior facere; & quantum ad illam actionem illud supremum est ultimum. Alia vero actio est quam poterit inferior facere; & in illa est supremum operans, & non ultimum; sed medium inter primum dirigens, & ultimum operans: unde hanc actionem non faciet medium, nisi mediante ultimo: quod patet in exemplo prius inducto. Artifex enim qui inducit formam, in hac operatione est ultimus, quia nullus infra eum hoc potest, ut verbi gratia, compaginare tabulas ad formam navis complendam, & ideo hoc immediate facit. Sed preparationem materiae per dotationem tabularum facit mediante inferiori artifice, in quantum dat sibi regulas, quales debeant esse tabulae aptae ad compaginationem navis. Ita est etiam in ordinibus Angelorum. Potestates enim habent actum circa ea quae pertinent ad tranquillitatem totius universi, in quantum habent potentiam non limitatam; & talia ordo Potestatum per se facit. Alia vero sunt quae pertinent ad statum unius provinciae, vel regni; & hoc non faciunt Potestates, nisi mediantibus Principatibus, qui haec per se exequentur. Quaedam vero sunt pertinentia ad aliquem, vel ad aliqua specialiter; & haec etiam Principatus non exequentur, nisi mediantibus Angelis, in quibus etiam quae majora sunt, fiunt immediate per superiores, & quae minora sunt, immediate ab inferioribus.

Ad quartum dicendum, quod ex hoc quod ordines secundae hierarchiae nominantur a potentia, significatur quod ad ministrativam dispositionem pertinent; sed non oportet quod omnes immediate ministerium exequantur.

Ad alia etiam duo patet responsio per ea quae dicta sunt.

## ARTICULUS IV.

*Utrum Angeli impediuntur a contemplatione per executionem ministerii.*

1. Ad quartum sic proceditur. Videtur quod Angeli per executionem ministerii a contemplatione retardentur: quia, ut habetur Tobiae xii. 20. Angelus in ministerio existens, dixit: *Tempus est ut revertar ad eum qui misit me.* Sed non revertitur nisi per contemplationem. Ergo videtur quod per ministerium a contemplatione Dei abscesserit.

2. Praeterea. Una potentia finita non potest simul in plures operationes. Sed potentia Angeli finita est. Ergo videtur quod non potest simul contemplari, & ministrare.

3. Praeterea. Intellectus creatus non potest simul plura intelligere. Sed quando ministrant Angeli, intellectu considerant ea quae agunt. Ergo videtur quod tunc divina contemplari non possunt.

4. Praeterea. Locus contemplationis est caelum empyreum. Sed cum sunt hic, secundum Damasce-

(1) Nicolai: ab invisibilitate recedunt, visibiles apparent.

Ex Edit. P. NICOL. (a) Partim Lib. II. Moral. cap. 11. ubi ait: *Non sic foras exeunt ut interne contemplationis gaudio priventur: & inferius: Per hoc quod circumscripti sunt, exeunt, & per hoc quod intus quoque praesentes sunt, nunquam recedunt etc.* Partim ex hom. xxxiv. in Evang. post sententiam Dionysii superius relata ex professo. (b) Ex Gregorio tamen mutuatus, qui hom. xxxiv. praenotata sic ait: *Et missi sunt (a Deo) & ante ipsum sunt: quia quolibet missi veniant, intra ipsum currunt.*

num, Lib. II. Fid. orth. cap. 111. non sunt in caelo. Ergo videtur quod exeundo circa nos ministerium, a contemplatione retardentur.

Sed contra est quod dicit Gregorius, (a) hom. xxxiv. in Evang. quod sic ad exteriora prodeunt quod ab intimis nunquam recedunt. Ergo videtur quod semper contemplantur, vel assistant, si sunt iidem ministrantes, & assistentes.

Praeterea. Beatitudo Angelorum non minuitur ex eorum ministerio. Sed eorum beatitudo tota est in contemplatione Divinitatis. Ergo in nullo per ministerium eorum contemplatio retardatur.

## SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod Angeli beati nullam operationem habent quae non sit essentialis beatitudini, vel in qua per contemplationem beatam non dirigantur: & ideo contemplatio eorum se habet ad ministeria quae exequentur, sicut in artifice consideratio regularum artis ad executionem operis: eo quod ipse Deus est finis omnium operum hierarchicorum, & a fine sumitur ratio cuiuslibet operis: & ita se habet finis ad operabilia sicut principium ad speculabilia, ut in II. Phys. text. xci. dicitur. Et ideo sicut artifex simul considerat rationem artis, & exequitur opus; ita & Angelus simul contempletur Deum, & ministrat nobis.

Ad primum ergo dicendum, quod Angelus dicitur discedere a Deo, non per intermissionem contemplationis, aut per locum (quia intra Deum currunt, quocumque mittantur, ut dicit Venerabilis Beda, (b) eo quod Deus ubique est) sed per hoc quod (1) ab invisibilitate recedens, visibilis apparet, sicut Filius exivit a Patre, & venit in mundum, visibilis hominibus factus: Joann. xvi. & similiter dicuntur reverti ad Deum, quando deposita visibili specie ad pristinam indivisibilitatem revertuntur.

Ad secundum dicendum, quod contemplatio Angelorum magis se habet per modum receptionis quam actionis: & ideo sicut luna simul recipit lumen a sole, & illuminat inferiora corpora; ita etiam Angelus simul illuminatur in divina contemplatione, & illuminat inferiorem, vel ministrat circa nos.

Ad tertium dicendum, quod ea quae cognoscuntur diversis rationibus, intellectus non potest simul considerare: quia non potest consignari diversis similitudinibus simul, sicut nec corpus diversis figuris: sed ea quae cognoscuntur una ratione, vel quorum unum est ratio alterius, nihil prohibet simul intelligi.

Ad quartum dicendum, quod caelum empyreum non est locus contemplationis secundum necessitatem, sed secundum congruentiam, sicut & Ecclesia domus orationis dicitur: & ideo ratio non sequitur.

## EXPOSITIO TEXTUS.

Item Dionysius in Hierarchia... ait. Verba quae sequuntur, sunt Gregorii, hom. xxxiv. in Ev. inducentis auctoritatem Dionysii non quantum ad

verba, sed quantum ad sensum.

Et putant quidam Michaellem, Gabrielem, & Raphaellem de superiori ordine fuisse. Hoc expresse contradicit Scripturae: quia Michael Daniel. x. ponitur

in ordine Principum; Gabriel autem dicitur de ordine Archangelorum; Raphael autem posset poni in ordine Archangelorum, secundum ea quae circa singulares personas exercuit.

## DISTINCTIO XI.

*Quod quaque anima habet Angelum bonum ad sui custodiam delegatum, & malum ad exercitium.*

Illud quoque sciendum est, quod Angeli boni deputati sunt ad custodiam hominum; ita ut quisque electorum habeat Angelum ad sui profectum, atque custodiam specialiter delegatum. Unde in Evangelio (Math. xviii. 10.) Veritas, a pusillorum scandalo prohibens, ait: „Angeli eorum semper vident faciem Patris.“ Angelos dicit eorum esse quibus ad custodiam deputati sunt. Super quem locum Hieronymus tradit, unamquamque animam ab exordio nativitatis habere Angelum ad sui custodiam deputatum, inquitens ita: „Magna dignitas animarum est, ut unaquaque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum delegatum.“ Gregorius quoque dicit (a) hom. xxxiv. in Evang. quod unusquisque unum bonum Angelum sibi ad custodiam deputatum, & unum malum ad exercitium habet. Cum enim omnes Angeli boni nostrum bonum velint, communiterque salutem omnium studeant; ille tamen qui deputatus est alicui ad custodiam, eum specialiter hortatur ad bonum, sicut legitur de Angelo Tobiae (Tob. cap. 111.) & de Angelo Petri in Actibus Apostolorum, cap. xii. Similiter & mali angeli cum desiderant malum hominum, magis tamen hominem ad malum incitat, & ad nocendum fortius instat ille qui ad exercitium eius deputatus est.

*Utrum singulis hominibus singuli Angeli, an pluribus unus deputatus sit.*

Solet autem quaeri, utrum singuli Angeli singulis hominibus, an unus pluribus ad custodiam, vel ad exercitium deputatus sit. Sed cum electi tot sint quot & boni Angeli sunt, plures constat esse omnes simul bonos, & malos homines quam boni Angeli sint; & cum tot sint electi quot Angeli boni, & Angeli boni plures sint quam mali, pluresque sint homines mali quam boni; non est ambiguum plures esse bonos homines quam sint mali angeli, & plures esse malos homines quam sint mali angeli, vel boni Angeli.

*Confirmat unum Angelum pluribus hominibus deputari, sive simul, sive diversis temporibus.*

Ideoque dici oportet, unum eundemque Angelum, bonum, vel malum, pluribus hominibus deputari ad custodiam, vel exercitium, sive eodem tempore, sive diversis temporibus. Ideo autem dicimus, eodem tempore, vel diversis temporibus: quia videtur quibusdam quod omnes homines qui sunt simul in aliquo tempore, singuli singulos Angelos habere possint, bonos, & malos: quia licet major sit numerus hominum computatis in unum omnibus qui fuerunt, & sunt, & futuri sunt, quam Angelorum: tamen quia decentibus hominibus succedunt homines, & ideo nunquam simul sunt in hac vita, Angeli vero nunquam decedunt, sed simul omnes sunt: ideo esse potest ut singuli hominum, dum in hac vita sunt singulos habeant Angelos bonos, vel malos, ad sui custodiam, vel exercitium destinatos. Caeterum, sive ita sit, sive non, non est dubitandum unumquemque hominem habere Angelum sibi deputatum, sive pluribus simul deputatus sit, sive uni singulariter. Nec est mirandum, unum Angelum pluribus hominibus ad custodiam deputari, cum uni homini plurium custodia deputetur; ita ut eorum quisque suum dicatur habere dominum, vel Episcopum, vel Abbatem.

*Utrum Angeli proficiant in merito, vel in praemio usque ad iudicium.*

Praeterea illud considerari oportet, utrum Angeli boni in merito, vel in praemio proficiant usque ad iudicium. Quod in meritis proficiant, atque quotidie magis ac magis mereantur, quibusdam videtur, ex eo quia quotidie hominum utilitatibus inserviunt, eorumque profectibus student. Quibusdam etiam nihilominus videtur quod in praemio proficiant, scilicet in cognitione, & dilectione Dei. Licet enim, ut ajunt, in confirmatione beatitudinem acceperint aeternam, atque perfectam; augetur tamen quotidie eorum beatitudo: quia magis ac magis diligunt, atque cognoscunt: & est eorum caritas, qua Deum, & nos diligunt, & meritum, & praemium: meritum, quia per eam, & per obsequia ex ea nobis impensa merentur, & in beatitudine proficiunt; & ipsa eadem est praemium, quia ea beati sunt.

*Auctoritatibus confirmant quod dicunt.*

ET quod Angeli proficiant in cognitione, ac per hoc in beatitudine, testimoniis sanctorum confirmant. Dicit enim Isaias, cap. lxiii. 1. ex persona Angelorum, Christi ascendentis magnificentiam admiran-

Ex Edit. P. NICOL. (a) Ex illo quidem refert Hugo de S. Victore in Eruditionibus theologicis, nempe in tract. 11. Summae Sententiarum cap. 1x. quamvis in Gregorio non occurrat: fictitiaeque prius velut ex hom. xxxiv. in Evang. indicabatur ad marginem. Sed ex Lib. II. Moral. cap. xvi. analogice colligi potest, ubi non tantum Deo ministrare dicuntur boni Angeli qui adjuvant, quasi pars dextra, sed & mali qui provent, vel molestent, ac exercent, velut sinistra.

rantium: „ Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bostra? “ & in Psalm. xxiii. 8. „ Quis est iste Rex gloriæ? “ Ex quibus apparet quod mysterium Verbi incarnati plenius cognoverunt Angeli post impletionem quam ante. Et sicut in cognitione huius mysterii profecerunt, ita dicunt eos in Deitatis cognitione proficere. Quod autem in huius mysterii cognitione profecerint, evidenter docet Apostolus (Ephes. iii. 9.) dicens: „ Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à sæculis in Deo, ut innotescat multiformis sapientia Dei per Ecclesiam Principibus, & Potestatibus in cœlestibus. “ Super quem locum dicit Hieronymus, angelicas dignitates præfatum mysterium ad purum, vel plenum non intellexisse, donec completa est passio Christi, & Apostolorum prædicatio per gentes dilatata.

*Quod in hac sententia videtur Augustinus adversari Hieronymo.*

**H**IS autem videtur contradicere Augustinus super eundem locum Epistolæ, super Gen. ad litter. Lib. V. cap. xix. dicens: „ Non latuit Angelos mysterium regni cœlorum, quod opportuno tempore, revelatum est propter salutem nostram. Illis ergo à sæculis innotuit supra memoratum mysterium: quia „ omnis creatura non ante sæcula, sed à sæculis est. “ Attende lector, quia videntur dissentire in hac sententia illustres doctores. Ideoque, ut omnis repugnantia de medio tollatur, prædicta verba, Haymonem (sup. iii. ad Ephes.) sequentes ita determinemus, ut illis Angelis qui majoris sunt dignitatis, & per quorum ministerium illa nuntiata sunt, ex parte cognita à sæculis fuisse, utpote familiaribus, & nuntiis; illis vero qui minoris dignitatis sunt, incognita exitisse dicamus, usque quo impleta sunt, & per Ecclesiam prædicata, & tunc ab omnibus Angelis perfecte fuerunt cognita. Constat itaque omnes Angelos in cognitione divinorum mysteriorum secundum processum temporis profecisse. Unde non incongruenter ipsi iidem dicunt Angelorum scientiam, ac beatitudinem augeri usque ad futuram consumationem, quando in scientia, ac beatitudine ita perfectissimi erunt ut nec augeatur amplius, nec minuatur.

*Aliorum opinio, qui dicunt, Angelos in quibusdam prædictorum non profecisse.*

**A**LII autem dicunt, Angelos in confirmatione, tanta Deitatis dilectione, atque notitia fuisse præditos, ut in his ulterius non profecerint, nec profecturi sint: profecerunt tamen in scientia rerum exteriorum, sicut in cognitione Sacramenti Incarnationis, & huiusmodi; sed non in contemplatione Deitatis: quia Trinitatem in Unitate, & Unitatem in Trinitate, non plenius intelligunt, sive intellecturi sunt, quam ab ipsa confirmatione perceperint. Ita etiam dicunt, eos in caritate non profecisse post confirmationem, quia eorum caritas postea non est aucta: & sic dicunt eos non profecisse in meritis; sed hoc quantum ad vim merendi, non quantum ad numerum meritorum. Plura enim bona fecerunt postea quæ tunc non fecerant, sed eorum caritas ex qua illa processerunt, non est aucta, ex qua tantum meruerunt antequam ista adderentur, quantum postea his adjectis. Illud vero quod alii superius dicunt, probabilius videtur, scilicet quod Angeli usque ad iudicium in scientia, & in aliis proficiant.

*Quod quædam auctoritates videntur obviare probabiliori sententiæ.*

**Q**Uibus tamen videntur obviare quartundam auctoritatum verba. Ait enim Isidorus in (a) de summo Bono „ Angeli in Verbo Dei omnia sciunt auctoritatem fieri. “ Sed nec omnes, nec omnia perfecte Angelos scire dixit: & ideo eos in scientia proficere non movet. Gregorius quoque in Libro Dialogorum (b) ait: „ Quid est quod illi nesciant qui scientem omnia sciunt? “ Ubi videtur dicere, quod omnia sciunt Angeli, & nihil sit quod nesciant. Sed accipiendum est hoc de his quorum cognitio beatum facit cognitorem, ut sunt ea quæ ad mysterium Trinitatis, & Unitatis pertinent.

#### DIVISIO PRIMÆ PARTIS TEXTUS.

**P**ostquam determinavit de quibusdam actibus qui consequuntur omnes ordines, scilicet assistere, & ministrare; nihil determinat de quodam actu ad quem unus ordo specialiter deputatur, scilicet custodire homines: & dividitur in partes duas: In prima determinat de Angelis quantum ad officium custodiæ; in secunda quantum ad profectum, prædictum officium consequentem, ibi: *Præterea illud considerari oportet.* Circa primum duo facit. Primo determinat veritatem; secundo circa determinata movet questionem, ibi: *Solet etiam quæri, utrum singuli Angeli singulis hominibus, an unus pluribus ad custodiam, vel exercitium deputatus sit.* Ubi tria facit. Primo movet questionem; secundo excludit alteram partem, ibi: *Sed cum electi tot sint, quot & boni Angeli sunt, plures constat esse omnes simul bonos; & malos homines quam boni Angeli sint;* tertio excludit reliquam, & exponit eam, ibi: *Ideoque dici oportet, unum eundemque Angelum bonum, vel malum pluribus hominibus deputari ad custodiam, vel ad exercitium.*

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Sive Sententiarum Lib. II. cap. xiv. (b) Lib. IV. cap. xxxi. 111.

#### QUÆSTIO I.

**C**irca custodiam Angelorum quærentur hic quinque.

Primo. Utrum Angeli hominibus ad custodiam deputentur.

Secundo. Cuius ordinis sit custodire.

Tertio. Quorum hominum sit custodiri.

Quarto. Utrum custodes Angeli semper custodiant homines quibus deputantur, vel quandoque eos derelinquant.

Quinto. Cum de salute hominum gaudeant Angeli, utrum è contrario de perditione eorum tristentur.

#### ARTICULUS I.

*Utrum Angeli custodiant homines.*

**A**D primum sic proceditur. Videtur quod Angeli homines non custodiant. Deus enim est custos hominum, ut dicitur Job vii. Sed perfectior

#### QUÆSTIO II.

tior est custos qui per seipsum sufficit ad custodiam quam qui custodit medianibus aliis. Cum ergo omne quod est perfectissimum, Deo sit attribuendum, videtur quod ipse nos per Angelos non custodiat.

2. Præterea. Custodia, & conservatio hominum est per gratiam. Sed gratiam Deus immediate infundit animæ, & non per Angelos. Ergo videtur quod eis non competat custodire nos.

3. Præterea. Unus effectus custodiæ Angelorum ponitur quod deferant orationes nostras ad Deum. Sed hoc videtur omnino superfluum, cum Deus omnia cognoscat. Ergo videtur vanum ponere Angelos hominum custodes.

4. Præterea. Custos ponitur alicui aut propter imbecillitatem, ut scilicet iuvenit, & defendatur, aut propter ignorantiam, ut instruatur; sicut mulieribus, & pueris doctores, & pædagogi dantur. Sed homo per se potest cognoscere ea quæ sunt facienda, vel vitanda, per legem naturalem cordi impressam; & potest etiam exequi propter arbitrii libertatem. Ergo videtur quod custodia Angelorum non egeat.

5. Præterea. Custodis officium est retrahere custoditum ab his quæ sibi sunt nociva. Sed Angeli non retrahunt homines à peccatis, cum multos in peccata præcipitari videamus. Ergo videtur quod Angeli hominum custodes non sint.

6. Præterea. Custodis est instruere custoditum secundum modum ejus. Sed modus hominis est cognitionem à sensibilibus accipere. Ergo videtur quod visibilibus apparitionibus nos deberent instruere. Hoc autem non faciunt, nisi forte raro. Ergo videtur quod vel non custodiunt, vel sunt negligentes in custodiendo.

Sed contra est quod dicitur in Psalm. xc. 11. *Angelis suis (1) Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis.*

Præterea. Deus est prior ad miserendum quam ad puniendum. Sed Deus hominibus dedit daemones ad exercitium, ut haberet ad Ephes. ult. 12. *Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem, sed adversus principes, & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum.* Ergo videtur quod multo fortius dederit Angelos ad custodiendum.

#### SOLUTIO.

Respondeo dicendum, quod, secundum Boetium in Libro de Consolat. (IV. pros vi.) Deus providentiam suam, quam de omnibus rebus habet, medianibus quibusdam causis exequitur. Ut autem in primo dictum est, quamvis omnium rerum providentiam habeat, speciali tamen modo substantiæ rationales suæ providentiæ subduntur, in quantum altiori modo præ cæteris finem divinæ bonitatis natæ sunt consequi, & per altius principium, quod est voluntas. Quia ergo inter Deum & homines media est natura angelica, & secundum legem sapientiæ suæ hoc est ordinatum ut inferioribus per superiora provideat, ideo ipsi Angeli exequuntur divinam providentiam circa salutem hominum, adjuvando ad tendendum in finem, & liberando ab his quæ processum in finem impediunt: & hæc executio divinæ providentiæ per Angelos de hominibus vocatur custodia Angelorum.

Ad primum ergo dicendum, quod Deus est custos primus & principalis, apud quem summa providentia residet: nec est propter suam insufficientiam

(1) Vulgata omittit *Deus.*

tiam quod suam providentiam de hominibus exequitur per Angelos, sed propter ordinem suæ sapientiæ. Tum quia congruit Angelis, ut scilicet eis hæc dignitas non negetur, quod sint duces hominum reductionis in Deum; & in hoc Deum quodammodo imitantur, in quantum cooperantur Deo in introductione hominum in finem. Tum quia congruit hominibus qui sunt in statu imperfectionis, quem pueritiæ Apostolus comparat I. Corinth. xiii. unde eis custodes tanquam pueris assignantur, donec veniente quod perfectum est, evacuetur quod ex parte est.

Ad secundum dicendum, quod sicut in operationibus artificialibus, in quibus instrumenta quodammodo disponunt ad formam, ut ignis mollicando ferrum, & martellus dilatando; sed forma cultelli inducitur ab artifice per similitudinem artis quam habet; ita etiam Deus, qui est primus custos, inducit ultimam perfectionem conjungentem fini, & per hoc conservantem, scilicet gratiam, & gloriam. Sed Angelorum est preparare homines ad susceptionem gratiæ per illuminationes, & alia huiusmodi.

Ad tertium dicendum, quod non dicuntur Deo orationes nostras deferre, quasi ipsum de hoc docentes, sed quasi ipsum orantes pro nobis; sicut etiam sacerdos offert Deo orationem populi, in quantum sua interventione effectum orationibus impetrat.

Ad quartum dicendum, quod lumen naturalis cognitionis imperfectum est, & præcipue ad dirigendum in illa quæ naturam excedunt; voluntas etiam ejus postest ad malum inclinari multis occasionibus: & ideo providet hominibus Angelorum præsidium.

Ad quintum dicendum, quod sicut providentiæ divinæ est sic impedire mala, ut tamen salvetur natura conditio; ita etiam & Angelorum custodia: & ideo ad Angelos non pertinet quod homines custodiendo ad virtutem cogant, & à vitis retrahant; quia sic periret libertas arbitrii, & ratio meriti.

Ad sextum dicendum, quod huiusmodi apparitiones visibiles Angelorum, eo quod sunt supra cursum naturæ, stuporem quemdam incutiunt, & quadammodo violenter incitant ad consensum: in quo perit aliquid bonum hominis quantum ad conditionem naturæ, quod est inquisitio rationis. Unde huiusmodi apparitiones non omnibus fiunt; sed aliquibus factæ sunt ad confirmationem fidei in multis, sicut etiam miracula. Nihilominus tamen per modum nostrum instruunt nos, illustrando phantasmata, & confortando lumen intellectus nostri, & excitando ad aliquid rectius considerandum.

#### ARTICULUS II.

*Utrum ad omnes ordines tertiæ hierarchiæ pertineat custodire homines.*

**A**D secundum sic proceditur. Videtur quod custodire pertineat ad omnes ordines tertiæ hierarchiæ. Quia secundum Dionysium (ix. cap. de cœl. Hier.) tertiæ hierarchiæ proprium est lumen divinum accipere per convenientiam nostræ hierarchiæ, idest proportionatum ad immediate transferendum in nos. Sed ille Angelus dicitur custos hominis qui immediate ipsum illuminat. Ergo videtur quod custodire ad omnes pertineat.

2. Præterea. Angelus custos defendit hominem ab impugnatione invisibilis hostis. Sed arcere, secundum Gregorium (hom. xxxiv. in Evang.) pertinet ad